JN NOMINE DOMINI Amen.

ACTUS

THEOLOGICO-SCHOLASTICUS

De

Sanctissimo Missæ Sacrificio.

De Cæremoniis & Ritibus Sacris ac de Rubricis

Exercitii causâ

In Seminario Academico-Diæcesano Cracoviensi

EXPEDITUS

Respondente ad Objectiones Excellen:

M. ANTONIO CAMELIN Philosophiæ Doctore & Professore

Assistente

M. STANISLAO PATELSKI Seminarii Vice-Præfecto.

Annô Salutis 1763.

Diebûs Mensis Octobris

CRACOVIÆ

Typis Semin. Acad. Episc: Diæcesani.

BIBLIOTH. UNIV. JAGELLONICAE

Epitheta aliquot & honorificæ Nomenclaturæ, quibûs Sancti Patres Ecclesiæ, Sacrosanctum Missæ Sacrificium commendârunt, apud Alphonsum de Torres.

S. Dionys: MYsterium Mysteriorum, cæleste Mysterium.
Sacrosancta & Augustissima Mysteria.
Sanctæ Mysteriorum Consecrationes.
Oblatio Sanctissimi Sacrificii.

S. Joan: Chrysost: Horrorem afferent a Mensæ Christi Sacrificia.
Mortis Christi celebratio, horrendum Sacrificium.
Mysterium omnium maximè horrendum, verendum q;
Jneffabilia Sacramenta, Mysteria Sacra.

S. Cyrill: Alexandr: Oblatio Divini Mysterii & Salutaris Sacrificii.
Sancti ac vivifici & incruenti Operatio Sacrificii.

S. Leo. Sanctum Sacrificium, Jmmaculata Hostia.

S. Ioã. Dã: Tremendum & impollutum, vitaleq; Sacramentum.

Cõc: Trid. Verum & singulare Sacrificium.

Catech. Tremendum Mysterium.

Romanus Sacramentum pacis & charitatis.

Malach. C. 1. Oblatio Munda.

Euseb. Deo plenum & Sacrosanctum Sacrificium.

Theodoret. Sacrificium Agni Dominici.
Oblatio Divini Doni.

Sacrificium Soli DEO debetur.

Qui immolat Diis, occidetur præterquam Domino Soli. Exodi. C. 22.

Jn omni loco sacrificatur & offertur Nomini meo oblatio munda. Malachiæ cap, 1mo.

39082 I

CONCLUSIONES
THEOLOGICO-SCHOLASTICÆ
De Sanctissimo Missæ Sacrificio
I.

SAcrificium à Sacro faciendo dictum, accipi bifariam, *impropriè* pro quolibet opere bono & meritorio, quo sensu loquitur Regius Vates Psal: 50. *Sacrificium Deo Spiritus contribulatus* Eccles: 36. *Qui facit misericordiam, offert sacrificium* S. Aug: lib: 12: de Civ: Dei C. 16. *Verum Sacrificium est omne opus bonum quod agitur.* Et *propriè* ac *strictè* pro certo Religionis Actu, quô supremum cultum soli Deo debitum exhibemus. Unde in omni Religione, sive *Vera*, quæ agnoscit & colit unum Verum Deum, sive *Falsa*, quæ idola seu fictos Deos adorat, Sacrificia inveniuntur. Et ea de causa omnes quantumvis barbaræ gentes semper habuerunt Sacerdotes & altaria, in quibus sacrificarent. Etenim cùm proprium sit Religionis cultu suo supremam Dei excellentiam super omnia protestari, non potest meliùs aliô modô illam excellentiam ac Dominium significare, quàm Sacrificiô. Hinc Sacrificium propriè sumptum. *Est oblatio externa rei sensibilis & permanentis, per aliquam ejus destructionem, ritu mystico facta soli Deo, à ministro legitimo,*

in recognitionem ſupremi ipſius in nos, & res omnes dominii & noſtræ ad ipſum ſubjectionis. Dividitur verò Sacrificium, Ratione *Materiæ*, in *Victimam*, quæ fiebat ex quadrupedibus & Volatilibus, in *Immolationem*, quâ offerebantur Deo res inanimatæ ſolidæ, ut fruges terræ, panes, thura &c. Jn *Libamen*, quô offerebantur Deo res inanimes fluidæ, ut vinum, oleum, ſanguis &c. Ratione *Formæ* in *Holocauſtum*, in quò res oblata tota in honorem Dei igne conſumebatur. Jn *hoſtiam pacificã*, per quã res oblata partim cremabatur, partim Sacerdotibus reſervabatur, partim offerentibus ipſis dabatur. Jn *Hoſtiam pro peccato*, in qua res oblata partim comburebatur, & partim ipſis Sacerdotibus tantùm reſervabatur, qui eâ veſcebantur, juxta illud: *Peccata populi mei commedent Oſeæ cap: 4. v. 8.* Ratione *finis* in *Latreuticum*, quod fiebat in cultum & honorem Dei utì rerum, omnium ſupremi Domini. Jn *Eucharisticum*, quod exhibebatur in gratiarum actionem pro beneficiis à Deo acceptis. Jn *Jmpetratorium* pro beneficiis accipiendis. Et in *Propitiatorium* ſeu *ſatisfactorium*, quod offerebatur pro peccatis commiſſis & per quod offenſus Deus placabatur. Jſti omnes fines, & modi ſacrificiorum in uno tremendo & incruento Miſſæ ſacrificio coadunantur, quod jure meritò eſt, Latreuticum, Euchariſticum, Jmpetratorium, Propitiatorium, Holocauſtum, Hoſtia Pacifica & pro peccato, Victima, Immolatio, Libamen,

bamen, juxta illud quod S. Leo ſcripſit Ser: 8. de Paſſione. *Carnalium Sacrificiorum varietate ceſſante, omnes differentias Hoſtiarũ, una Corporis & Sangvinis implet oblatio*. Et Conc. Trid Seſſ. 22. Can. III. ait: *ſi quis dixerit, Miſſæ Sacrificium tantùm eſſe laudis, & gratiarum actionis, aut nudam commemorationem ſacrificii in Cruce peracti, non autem propitiatorium; vel ſoli prodeſſe ſumenti, neq; pro vivis & defunctis, pro peccatis, pœnis, ſatiſfactionibus, & aliis neceſſitatibus, offerri debere, anathema ſit.* Porro dimittit peccata ex opere operato, mediátè quò ad culpam, & immediatè quò ad pænam.

II.

MArtyrium, eſto ſit *Oblatio ſui ipsius Deo facta*, ſtrictè & propriè Sacrificium dici nequit.

III.

MIſſa, quæ vel à voce Hebræa Miſſach, ideſt oblatio voluntaria vel à Latina Miſſa ſeu transmiſſa eò quòd populus fidelis preces & oblationes ſuas per Sacerdotem ad Deum transmittat. Vel quia Catechumeni Sacramentis altaris intereſſe non valentes, foras mittuntur. Vel quia per Conſecrationem Chriſtus mittitur ad nos à Patre, dicta. Eſt *Sacrificium verum, proprium & propitiatorium Novæ Legis, in quo incruentè immolatur Chriſtus.* Eſtq; unicum, nec differt ſpecie ab illo, quod Sacerdos in æternum ſecundùm ordinem Melchiſedech Chriſtus Dominus ſemel in ara Crucis Deo Patri obtulit, pro ſalute Generis humani.

IV.

IV.

SAcrificium Missæ institutum esse à Christo Domino in novissima Cæna canit Ecclesia. *Sic sacrificium istud instituit, cujus officium comitti voluit, solis Presbyteris, ut sumant & dent cæteris*, & Sancti Evangelistæ luculenter id testantur Matth: 26. Marc: 14. Lucas 22.

V.

AZymô usus est Christus, non Fermentatô, instituens Eucharistiam Die seu Luna Decima quarta ad vesperam.

VI.

AQua Vino mixta, transire in Vinum debet, ut in Sanguinem transeat.

VII.

HUjus Essentia Sacrificii non videtur esse posita in oblatione quæ fit ante vel post Consecrationem, nec in fractione, aut sumptione, sed solùm in Consecratione panis & vini in Corpus & sangvinem Christi, cum habitudine tamen ad oblationem & sumptionem, tanquam terminum extrinsecum pertinentem ad integritatem prædicti Sacrificii.

VIII.

COnsecratio utriusq; speciei jure Divino ad essentiam sacrificii pertinet.

IX.

CUm Sacrificium Missæ, idem sit cum Sacrificio Crucis, & sola differt offerendi ratione, sequitur

tur valorem ejus quò ad ſubſtantiam conſideratum, ex parte ſcilicet rei oblatæ, & principalis offerentis Chriſti, infinitum eſſe, at ſi ſumatur quantùm ad effectus & modum quô nobis applicatur, finitum & limitatum, ac perinde unicô Miſſæ Sacrificiô, non poſſe pluribus ſatisfieri ſtipendiis.

DE CÆREMONIIS ET RITIBUS SACRIS.

Quia nihil communius eſt inter Hæreticos, quám Sanctam Apoſtolicam Romano-Catholicam Eccleſiam, à qua per apoſtaſiã receſſerunt, calumniari, ejusq; Cæremonias ac pios Ritus ſubſannare, operæ pretium judicavi, partim ad eorũ ora obturanda, partim ad inſtruendam rudiorem plebem præſentes Theſes exponere de ſacris Cæremoniis & Ritibus.

Ama Dominum DEUM tuum & obſerva Præcepta ejus & Cæremonias Deut; 11. v. 1.

Quæ eſt enim alia gens ſic inclyta, ut habeat Cæremonias Deut: 4. v. 8.

Ut ambules in viis ejus, ut cuſtodias Cæremonias ejus, & præcepta ejus. 3. Reg. 2

Jgnis in Altari meo ſemper ardebit. Lev. 6.

Cumq;

Cumq; levaret Moyses manus vincebat Isràèl, sin autem paululum remisisset superabat Amalech Exod: 17.

Ut omnia honestè & secundùm ordinem fiant 1. Cor. 14.

I.

CÆremoniæ quibûs utitur Ecclesia Catholica non sunt vanæ & superstitiosæ (ut volunt Hæretici) sed summoperè necessariæ, utiles, magnamq; habentes vim excitandi populum ad devotionem.

II.

SUnt autem olim à Sanctissimis Patribus institutæ, imò plurimæ ab ipsis Apostolis emanârunt, teste S. Dionysio de Eccl. Hierar. cap. 1. ad informandum populum præsertim indoctum & rudem, quæ Christus egit, & quæ ad ejus salutem & pietatem spectant.

III.

SOli Ecclesiæ Catholicæ competit statuere Ritus & Cæremonias, quas omittere vel immutare nefas est.

IV.

REctissimè Ecclesia Catholica certas quasdam res, ut sal, Thus, Aquam, Vinum, Oleum, Cereos, Cineres, Palmas, Campanas benedicit, ad exemplum Christi, qui Lucæ 9. piscibus & panibus benedixit

& tur-

& turbæ distribuit. Et quòd tales res per benedictionem fiunt meliores, apertîs verbîs docet Doctor Gentium 1. Tim. 4. *Omnis Creatura sanctificatur per verbum Dei & orationem.*

V.

R*Itus*, quòd ritè & exactè fiant, recensentur omnes circumstantiæ requisitæ ad Missæ celebrationem, Divini Officii recitationem, sive sint verba, sive actiones, seu vestes, seu vasa. Porro hi *Ritus*, alii dicuntur *Essentiales*, qui sunt de necessitate Sacrificii & Sacramenti, de quibus Trid. sess. 7. Can. 13. sic inquit *si quis dixerit acceptos & approbatos Ecclesiæ Catholicæ Ritus, in Solemni Sacramentorum administratione adhiberi consuetos, aut contemni, aut sine peccato à Ministris pro libitu omitti, aut novos alios, per quemcunq; Ecclesiarum Pastorem mutari posse anathema sit.* Alii Ritus *Accidentales* qui pertinent ad ornatum tantùm, possuntq; esse de necessitate Præcepti, non verò de necessitate Sacrificii vel Sacramenti. Consistunt autē in actionibus, precibus, aliisq; circūstantiis ab Ecclesia adjūctis, quæ dicūtur Sacrāentalia & Cæremoniæ.

EX RUBRICA.

I.

RUbrica (à rubro colore, quô plerumq; scribi solet, sic dicta:) Est regula communis continens

 & indi-

& indicans ritus certos colendi Deum & Sanctos, per Officium Sacrificium, & his similia.

II.

RUbrica rectè dividitur in *Generalem* & *Particularem seu Propriam*. Jn *Præceptivam*, hoc est obligantem in conscientia & sub peccato ad servandos Ritus ab ea præscriptos. *Et Directivam*, hoc est proponentem per modum Consilii, quid agendum. Item in Rubricam Missalis & Breviarii.

III.

RUbrica distingvitur à virtute Religionis, habetq; varias significationes secundùm hos versiculos:

Litera gesta docet, quid credas Allegoria,
Moralis quid agas, quò tendas Anagogia.

Unde Rubrica de osculo altaris in sensu literali significat actum osculandi Altare, in quo fit Sacrificium. Jn sensu Mystico Tropologico, significat consensum animorum inter Fideles. In Allegorico desponsationem Christi cum Ecclesia, in Anagogico delectationē & gaudiū futuræ gloriæ. IV.

RUbricas esse Juris Humani Ecclesiastici, quarum causa efficiens est Summus Pontifex, à quo tanquam ab habente potestatem in totam Ecclesiam debuit talis lex universalis ferri. Primus autem earum author traditur fuisse S. Petrus. Pius verò V. vel maximè eas solidavit, editô Missali Romanò, quô nunc

nunc utimur, postea roboratô per Clementem VIII. & Urbanum VIII.

V.

RUbricæ Præceptivæ sub gravi obligant (nisi parvitas materiæ aut inadvertentia excuset:) non item Directivæ, secluso contemptu ac animô novum inducendi Ritum. Quælibet verò additio voluntaria circa formam Sacrificii Missæ, sive destruat, sive servet sensum verborum Consecrationis, à gravi culpa nunquam immunis censetur, cum in re tam grandi & Sacrosancta, qualis est Consecratio, non datur materiæ parvitas, ideò Sacerdos omnes Sacras Cæremonias in Rubricis præscriptas, piè ac diligenter observare debet, ne positus inter homines, Deumq; mediator, ad ejus iracundiam sedandam, negligenter suo munere fungens, ipsum potiùs magis ad iracundiam provocet.

VI.

RUbtica est, quòd Missa quæ est unicum Novæ Legis Sacrificium, sit à jejunis celebranda. Non vulgari idiomate, in pane triticeo azymo, vino de vite, admistâ aquâ,, in loco sacro, & à profanis alieno, ad hibitîs cereîs accensîs, tribùs thobaleis, saltim coram duobus adstantibus, tempore debito, cum paramentis competentibus tempori & Solemnitati.

FInis Rubricarum Missalis & Breviarii, est Dei Cultus & utilitas spiritualis Fidelium, ex *Trid. sess. 7. Can. 13. & sess. 22. c. 5. & Bullis Pontificum* Missali præfixis.

Quoniam res nobis erat de Rubricis etiam exponere aliquas Theses, ideo placuit ex eis Tabellas Directivas pro SS. Missæ Sacrificio celebrando huc apponere.

Oppugnabunt de SS. Missæ Sacrificio expositas Theses AA. RR. PP. Ordinis S. Francisci Arctioris Observantiæ Reformati, S. Theologiæ actuales Lectores, Conventûs Cracoviensis.

Oppugnabunt Theses de sacris Cæremoniis, Ritibus & Rubricis AA. RR. PP. Ordinis S Pauli Primi Eremitæ, *ex Rupella* (ubi S. Stanislaus Pontifex per Martyriũ Victima grata Deo factus ante Annos 665.) Actuales Sacræ Theologiæ Professores.

Oppugnabunt 3tiô. Locô V. Ioannes Olechowski AA. L.L. & Phiæ Baccalaureus, & Excell: M. Stephanus Pinoci Diaconus, Phiæ: Doctor, Seminarii Alumni.

TABEL-

TABELLÆ DIRECTIVÆ
Pro SS. Missæ Sacrificio celebrando.
In Dominicis per Annum

Tempus.	Color.	Missa.	Gloria	Credo	Præfatio	Benedic:	Orationes.
Adventus	Viol:	Propria	Omittitur	Dicitur	Trinitat:	Benedicamus:	2 Deus qui de B. 3 Eccl:v.proPp.
Ab 8va Epiphan:	Virid:	Propria	Dicitur	Dicitur	Trinitatis.	Itemissa:	2 Deus qui sal: 3 Eccl:v.proPp.
A Septuages:	Viol:	Propria	Omittitur	Dicitur	Trinitatis.	Benedicamus.	2. A cunctis. 3. Ad libitum.
A Die Cinerum	Viol:	Propria	Omittitur	Dicitur	Quadragesimalis.	Benedicamus.	2. A cunctis 3 proVivis & D.
A Dom. Passionis.	Viol:	Propria	Omittitur	Dicitur	DeCruce	Benedicamus.	2. Eccl. vel pro Papa.
Ab 8va Paschatis.	Albus	Propria	Dicitur	Dicitur	Paschalis	Ite Missa.	2. Concede 3. Ec. v. pro Pp.
Ab 8va Pentecost	Viridis:	Propria	Dicitur	Dicitur	Trinitatis.	Ite Missa.	2. A cunctis. 3. Adlibitum.

IN FERIIS.

Tempus.	Color.	Missa.	Gloria	Credo	Præfatio	Benedic:	Orationes
Adventus	Viol:	Dominicalis.	Omittitur.	Omittitur	Commun	Benedicã:	Dominicales,
Ab 8va Epiphan:	Virid:	Dominicalis.	Omittitur.	Omittitur	Commun	Benedicã.	Dominicales.
A Septuagesima.	Violac:	Dominicalis.	Omittitur.	Omittitur	Commun	Benedicã.	Dominicales.
A Die Cinerum.	Viol:	Propria.	Omittitur.	Omittitur	Quadragesimalis.	Benedicã:	1. Propria. 2. a Cunctis, 3. pro vivis & D.
A Domi: Passionis:	Violac:	Propria	Omittitur	Omittitur	De Cruce.	Benedicã:	1. Propria 2. Ec. v. pro Pp.

ab 8va

Ab 8va Paſchat:	Albus	Domini-calis	Dicitur	Omitti-tur	Paſchalis	Ite.	Dominicales
Ab Octa: Penteco:	Viridis	Domini-calis	Omitti-tur	Omitti-tur	Commu-nis	Benedica:	Dominicales

In Duplicibus

Tempus	Color:	Miſſa	Gloria	Credo	Præfatio	Benedic.	Or ationes.
Adven-tus	Ru- Al-	Pro	Sem	Ut	Pro	Ite.	2. Feriæ.
Ab Octa: Epiphan:	ber bus	pria	pe	nota	pria	Ite	Unica.
A ſeptu-ageſim.	pro pro	vel	r.	tur	vel	Ite.	Unica.
A Die Cinrum.	Mar non	Com	di	in	Com	Ite Ev: ult:Feriæ	2. Feriæ
A Domi: Paſſionis.	ty Mar	mu	ci	Ru	mu	Ite Ev: ult:Feriæ	2. Feriæ
Ab Oct: Paſch:	ri tyri	nis.	tu	bri	ni	Ite.	Unica.
Ab Oct: Pentec:	bus bus		r.	cis	s.	Ite.	Unica.

In Semiduplicibus.

Tempus	Color.	Miſſa	Gloria	Credo	Præfatio	Benedic.	Orationes.
Advent:	Ru Al-	Pro	Sem	Ut	Pro	Ite	2. Feriæ 3. Deus qui.
Ab Octa: Epiph:	ber bus	pria	pe	nota	pria	Ite	2. & 3. Domin.
A Septu-ageſim:	pro pro	vel	r.	tur	vel	Ite	2, & 3. Domin.
A Die Cinerum	Mar non	Com	di	C. 2.	Com	Ite Evan. ultim Fer	2. Feriæ 3. A cunctis
A Domi: Paſſionis	ty Mar	mu	ci	Ru	mu	Ite Evan. ultim Fer	2. Feriæ 3. Ec.v. pro Pp

Ab Oct:

Ab Oct: Paschæ	tri ri	ni.	tu	brica	ni.	Ite	2. & 3, Domin:
Ab Oct: Pentecost	bus	s.	r.	rum	s.	Ite	2. & 3. Domin:

In Simplicibus.

Tempus	Color	Missa	Gloria	Credo	Præfatio	Benedic:	Orationes
Adventus	Ce	di	t.	Fe	ri	æ.	2. de Sancto 3. Deus qui.
ab Octav Epihan:	Albus v. Ruber	Propria v. Com:	Dicitur.	Omittitur	Communis.	Ite	2. & 3. Domicales.
à Septuages.	Albus v. Ruber.	Propria v. Com:	Dicitur	Omittitur.	Communis	Ite	2, & 3. Domicales.
à Die Cinerum	Ce	di	t.	Fe	ri	æ.	2. de Sancto 3. A cunctis,
à Domin: Passionis	Ce	di	t. t.	Fe	ri	æ.	2. de Sancto tantùm
ab Octav Paschat:	Albus v. Ruber	Propria v. Com:	Dicitur	Omittitur	Paschal:	Ite	2. & 3. Domlnicales.
ab Octav Penteco:	Albus v. Ruber	Propria v. Com.	Dicitur	Omittitur	Communis	Ite	2. & 3. Dominicalis.

DE VOTIVIS

In Missa Votiva solemni dicitur Gloria Credo & una tantùm Oratio, exceptâ Votivâ de SS. Trinitate pro gratiarum actione, in qua duæ Orationes sub unica cantantur conclusione, ut docet Merati de Votivis. §. 8.

In omnibus Votivis Evangel: finale S. Ioannis dicitur semper & non aliud.

Votiva	Color	Missa	Gloria	Credo	Pr&fatio	Benedicamus.	Orationes
SS. Trinitatis	Albus	Propria	Omittitur.	Omittitur	Propria	Benedicamus.	2. & 3. Diei currentis.

Spiri-

S. Spiritûs.	Ruber	Propria	Omittitur.	Omittitur.	Propria	Benedicamus.	2. & 3. diei curtentis.
SS. Euchariſtiæ	Albus.	Ptopria	Omittitur.	Omittitur.	De Nativitate.	Benedicamus.	2. & 3. diei currentis.
De Paſſione.	Violac	Propria	Omittitur.	Omittitur.	DeCruce	Benedic:	2. & 3. diei currentis.
De S. Cruce	Ruber	Propria	Omittitur	Omi ttur.	DeCruce	Benedic:	2. & 5. diei currentis.
De S. Maria	Albus	Propria	Omit: extra Sabb:	Omittitur.	Propria	Ben: vel Ite in Sab	2. diei curentis 3. de Spir: S niſi ſit alia Comm:
De S. Angelis.	Albus	Propria	Dicitur.	Omittitur.	Communis.	Ite.	2 & 3. diei cur:
De S. Apoſtolis.	Ruber	Propria	Omittitur	Omittitur.	De Apoſtolis.	Benedic:	2, &3, diei currentis.
Tem:belli & in a iis	Violac	Propria	Omittitur.	Omittitur.	Communis.	Benedic:	2. & 3. diei currentis.
Pro Defunctis.	Niger.	Propria	Omittitur.	Omittitur.	Communis.	Requiescant in p.	Una v. plur:pro qualitte. Miſſæ.

Explicatio Quinque Colorum in Sacris Paramentis Miſſæ adhiberi ſolitorum I. ALBUS ſignificat candorem, puritatem & ſolemnitatem, juxta illud *S.* Greg: Homil: 21. in *Marc: Candor veſtis ſplendorem noſtræ denuntiat Solemnitatis.* Adhibetur in Feſtis SSS. Trinitatis, Salvatoris Nativit: Epiph: Paſch: Corpor: Dedicationis, in Feſtis B.V.M. & Sanctorum Confeſſorum, ac Virginum non Martyrum II. RUBER ſignificat charitatem ferventem in Deum & proximum, adhibetur in Feſtis Pentecoſtes, S. Crucis & SS. Martyrum. III. VIRIDIS ſignificat ſpem futuræ gloriæ & commune fert Adagium *ſpes in herba* adhibetur in Dominicis & Feriis earũ ab 8va Epiph: ad Septuag: & ab 8va Pentecoſtes ad Adventum. IV. VIOLACEUS, ſignificat pænitentiam dolorem de peccatis, adhibetur in Adventu *Domini,* in Quadrageſimâ, ac in aliis Feriarum diebus. V. NIGER, ſignificat mærorem, triſtitiam ac mortem, adhibetur in die Paraſceves & in Miniſterio pro Defunctis Fidelibus,

Miſſa cum his 5. Literis A B C D E celebranda.

A. *Attentè,* hoc eſt attendendo ad Verba, ad ſenſum, ad IESUM Chriſtum.

B. *Breviter,* id eſt non moroſè, non nimiùm indulgendo propriæ devotioni, cum tædio adſtantium, ſed ſecundùm communiorem piorum morem: non tamen præcipitanter ſe gerendo aut feſtinè.

C. *Clarè,* id eſt pronuntiando verba diſtinctè, non corruptè, non langvidè, non nimis altè, aut ſubmiſſè, ſed ita, ut quæ alta voce dicenda ſunt, non clamoraſé enunçientur, poſſint tamen audiri à circumſtantibus, quæ verò ſubmiſſè, audiri poſſint à ſe ipſo.

D. *Devotè, Interius* per erectionem mentis ad Deum. *Exterius* per modeſtam, piam, ſinceram & non affectatam corporis compoſitionem, ad ædificationem circumſtantium,

E. *Exactè,* ut nimirum, ea omnia quæ in Rubricis ſunt præſcripta, ſeriò ſerventur, monente Apoſtolo 1. Cor: 14,

OMNIA HONESTE ET SECUNDUM ORDINEM FIANT.